

II
286

CAROLI GOTTLLOB
SPERBACHII
IN ACADEMIA WITEMBERGENSI
PROFESSORIS LINGVARVM ORIENTIS
PRODECANI
COLLEGII PHILOSOPHICI
AC COMITIS PALATINI CAESAREI
AD
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATOS
COMMENTATIO
DE
PORTIS SACRARII
HIEROSOLYMITANI POSTERIORIS.

VVITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.



CAPOEITI GOTTLOB

SETERAVCHII

HENRY ADAMUS HINTERLIEFERNER
PROLATORIUS IN HANAU A M. ORPHEUS

BEGOTTEN

GOTTLICHEN HILFSTOTHEIT

AC. COVENS ET FRATRUM CAESARII

INTRODUCTIO IN ALTAE POLYCHIN

ZOTADIA

OBRAZ / 1695

ETC. / 1695

INTRODUCTIO IN ALTAE POLYCHIN

ZOTADIA

OBRAZ / 1695


ETC. / 1695

INTRODUCTIO IN ALTAE POLYCHIN

ZOTADIA

OBRAZ / 1695

ETC. / 1695



VI

Q. D. B. V.

Sacrarium Hierosolymitanum alterum,
quod condidit Zorobabel, Herodes au-
tem reficere, anno imperii sui duode-
uicesimo, coepit 1. ita ut prius 2. in
monte Moriia iacuit. Quadratum id fuit: quippe cu-
ius latera singula cubitorum quingenorum longitudi-
nem aequarunt. Extimum circumcirca spatium, omni-
um generum, axis constratum 3. *mons templi* ac, quo-
niam idem ingredi peregrinis etiam licuit, atrium gen-
tium auctoribus CHRISTIANIS quoque solitum
vocari, interiora versus non aequa late in omnibus re-
gionibus patuit. Nam amplissimum spatium australe
A 2 fuit,

1. V. FLAVII IOSEPHI *Antiquitates Iudaicae* l. 15. c. 14.

2. V. Chr. liber posterior cap. 3. v. 1.

3. Videat. IOSEPHVS *de Bello Iudaico* l. 6. cap. 6.



fuit, ab hoc proximum orientale, hoc angustius septentrionale, atque minimum occidentale.

Septus mons templi fuit moenibus, eadem per latera omnia altitudine, excepto muro orientali, partibus reliquis, eo certe loco, vbi portam supereminuit, humiliori: vt oculis sacerdotis, in monte oliuarum, Hierosolymae orae eoae aduerso, vaccae rufae, mox conflagraturae, sanguinem dextrae digito versus sanctissimum septies spargentis, occursaret ianua templi 4. Habuit vero *quinquē portas*: ad quas singulas deni excubias egerunt Leuitae. *Australi in latere binae* fuerunt, *Chuldae* vocatae. Eas a vate DIVINA, quae in sacra quoque scriptura 5. laudatur, cognomen traxisse, est simile veri. Nam et aliae portae hominum nominibus cognominatae sunt, et Chuldae Iudei tantum detulerunt, vt, si Dauidis genus excipiatur, neminem virumquam, seu virorum, seu mulierum, praeter illam intra Hierosolymae moenia sepultum esse tradant 6. Per eas intrare,

4. Videant. מדרות cap. 2. et MOSES MAIMONIDES בית הבחירה部分 cap. 6.

5. Reg. l. alt. cap. 22. v. 14.

6. Videat. IOANNES LIGHTFOOTVS Oper. tomo prior. pag. 558. editionis Roterodamensis: vbi aliae etiam cognominis huius rationes, sed minus credibiles, adferuntur.

re, et redire, licuit omnibus. In occidentali regione fuit porta Kiphonos, quae et ipsa cuilibet patuit. Cognomen hoc ex Coponii nomine corruptum videtur. Coponium autem, Augusto Caesare imperante, praesidem Iudeae fuisse, testatur IOSEPHVS 7. Forte ergo Herodes, ei palpum obtrusurus, hanc portam Coponiam vocari voluit, vt arcem, seu turrem, in latere septentrionali sitam, in Anthonii, sibi amicissimi, honorem Anthoniam cognominavit 8. Per septentrionalem, dictam Tedhi, seu Teri 9. nemo facile aut iuit aut reddiit praeter sacerdotes, si qui erant noctu polluti: cuius solitudinis caussa fuisse videtur arx Anthonia, eo in latere aedificata, vbi praesidium Romani habuerunt 10. Orientalis simulacrum vrbis Suforum tulit, idque iussu regis Persiae, quem id Iudeis, e Babylonia captiuitate redeuntibus, in reuerentiae signum aiunt imperasse. Alii tamen volunt, hos illam imaginem sponte curasse

A 3

pingen-

7. Antiquitat. l. 18. c. 1.

8. V. HADRIANI RELANDI Antiquitates sacrae pag. 77.
ac LIGHTFOOTI Oper. tom. prior pag. 559. vbi aliae quoque
recensentur etymologiae, et ei, quae a me commemorata est,
posthabentur.9. Ita legendum existimat RELANDVS Antiquitatib. sacris pag.
77. et cognomen hoc ab homine quodam Tero vocato deriuat,
id quod cum aliis expositionibus, quas LIGHTFOOTVS
Oper. tomo priore pag. 562. commemorat, partim incertis, par-
tim obscuris, loco suo relinquitur.

10. Videat. LIGHTFOOTI Oper. 2. alter pag. 192.



pingendam, ac deleto etiam imperio Persarum illesam reliquisse, studioseque conseruasse, ut salutis, quam DEVIS, Esterae temporibus, ibi populo suo attulerit, monumentum perpetuum exstaret 11. Sunt, qui hanc portam arbitrantur esse eamdem, quae in nouo testamento 12. *pulcra* cognominetur. Per eamdem in montem oliuarum vacca rufa ducta est 13. Omnes altae cubitos viginti, atque decem ampliae, et instructae valuis fuerunt. Omnes superliminare habuerunt, quod saxum fuit, ambobus postibus valuarum fultum, praeter portam septentrionalem, quae in formam pyramidatam e duobus saxis, superne contiguis, compositam exit. Per quamcumque vero portam quisquam montem templi intrarat: per eamdem ei peractis, quae destinarat, redire non licuit. Sed omnes dextrorsus se conuertere, et in alio latere exire decuit praeter lugentem, atque abs coetu segregatum, quippe qui sinistrorsus tendere debuerunt. Ille ab occurrentibus rogatus, cur huc pergeret, si responderat: Quia ego lugeo, hoc retulit votum: Habitans in domo hac tuum consoletur dolorem. Hic ve-

ro,

11. V. ABRAHAMI SACHVTHI יוחנן f. 65.

12. *Act. cap. 3. v. 2. V. CONRADI IKENII Ant. Hebraicae p. 1. cap. 8.*

13. Videant. מדרות c. 2.

ro, si ex eo idem quaereretur, edita caussa, talia audiuit: Habitans in domo hac tibi animum indat, sociis tuis parendi, quo te recipiant 14.

Montem templi per portam quamcumque ingressis atque recta pergentibus occurserunt *cancelli* lignei, palmos decem alti, ultra quos procedere, hospitibus profanis neutquam licuit 15. Fuerunt in eis *ostia*, atrii mulierum interiorisque portis respondentia, adiunctis columnis, quae veterunt, aliae Graecis litteris, aliae Latinis, peregrinos locum ingredi sanctum 16. Post cancellos *antemurale* fuit, spatium decem cubitorum, idemque planum aequum, atque mons templi. Eiusdem mentionem facit IEREMIAS 17. Ex eo, si quis ab orientali regione occidentem versus pergebat, adscendebatur in *atrium* exterius, mulierum cognominatum, quod ultra hoc progredi feminis non liceret, nisi hostiam praebituris, centum triginta quinque cubitos et latum, et longum, ac totum planum,

per

14. Videant. Πτῶτον cap. 2.

15. Huc respicit PAVLLI τὸ μεσότοιχον τὰς Φραγμὰς interstitium septi Ep. ad Ephesios cap. 2. v. 14.

16. Videant. IOSEPHVS de Bello l. 6. cap. 6. et LIGHTFOOTVS Oper. tomo priore pag. 590.

17. Thr. cap. 2. versu 8. vbi LVTHERVS noster bene per Zwinger interpretatur.



per duodecim gradus, cubitum dimidiatum et latos, et altos. Ac tot in duobus lateribus quoque australi septentrionalique fuerunt. Non ambiuit id atrium interius totum, sed in sola illius regione orientali iacuit. Ceterum circumdatum et ipsum fuit moenibus, *portasque* ex antemurali venientibus aditum patefacientes habuit *ternas, australem, septentrionalem* atque *orientalem*. *Illae* commune *portarum mulierum* nomen retulerunt: quoniam per eas suum intra atrium feminae ingredi consuerant. *Haec porta inferior* atque etiam *porta montis* vocabatur. Nam et atrii interioris porta orientali, ipsi opposita, cubitis septem cum dimidiato, inferior fuit, et eidem mons templi subiacuit. 18.

Ex atrio mulierum adscendebatur in *atrium interioris*, quod ab austro ad septentrionem eadem cum illo latitudine fuit, sed longitudine ab oriente ad occidentem maiore, cubitorum nempe centum octoginta septem. Et hi ita computantur: Anterior eius pars, atrio mulierum propior, atrium *Israhelis cognominata,*

18. Videant. מדרות cap. 2. IOSEPHVS de Bello l. 6. cap. 6. SALOMON ISAACIDES, vulgo cognominatus IARCHI, ad c. 1. MAIMONIDES משנה תורה part. 3. הבנות הוחכל הלכות בית הבחירה cap. 6. IVDA LEO OBHADHIA DE BARTENORA ad c. 10. טבחדרין atque CONSTANTINVS LEMPEREVR מדרות cap. 5.

ta, cubitos sibi vendicat vndeclim; subsequens atrium sacerdotum totidem; ara exterior triginta duos; spatium inter aram pronaunque medium viginti duos; templum centum; vndeclim denique pars reliqua ab occidental i templi latere ad atrii interioris murum occidentalem 19. Non autem exacte in medio monte atrium hoc iacuit. Nam ab australi illius ora erat remotissimum, occidentali vero proximum, et ab septentrionali maiori spatio distabat, quam ab occidentali, atque ab orientali longius, quam ab aquilonari 20. Circundatum autem et ipsum fuit moenibus, et portas habuit septem: in latere septentrionali, qua occidenti fuit proprius, tres; in australi muro, qua et ipse occidenti fuit vicinior, totidem; in parte orientali media vnam 21. Haec sola ex atrio mulierum in atrium Israhelis duxit. Ad eam adscendebatur, quindecim gradibus semicircularibus, cubitum dimidiatum et latis, et altis, ab australi septentrionalique latere aequaliter remotis, in quibus Leuitae, anniuersaria festi umbraculorum sollemnitate, ad instrumenta canentes, consistere solebant. Vtrimeque fuerunt ostia, ex atrio mulierum aditum conclave subter atrio Israhelis instrumentis Musicis seruan-

B

dis

19. Videant. מדרות cap. 5.

20. Videant. מדרות cap. 2.

21. Videant. כ. ל. et שקלים טרוות cap. 6.



dis destinatorum patefacientia. Gradibus illis si quis adscenderat, et decem cubitos in plano occidentem versus perrexit: occurrit gradui, cubitum alto, sed parte ea, qua adscenderetur, alio gradu interstincto, qui ad atrium pertinuit Israhelis. Supra illum fuit suggestus cum gradibus tribus, cubitum dimidiatum et latiss., et altis. His adscendebatur in *atrium sacerdotum*, ab atrio Israhelis vallis seunctum 22. Reliquae portae omnes introitum in alias, atrii interioris, partes aperuerunt. Et, quia id inde ab atrio sacerdotum altitudine cubitorum sedecim montem templi superauit, ex hoc ad illas, adscendendum triginta duobus gradibus fuit. Septem vero portarum nomina quod concernit: *aquilonarium una splendoris cognominata est*, quod eius aurum illustraretur et flammis aerae, cui opposita erat, et solis meridiani radiis, quibus illa ex portis septemtrionalibus sola patuit, quum eos ad reliquas non admitteret altitudo templi. Exedrae ea praebuit speciem, superstructumque conclaue habuit, in quo sacerdotes, vt infra Leuitae, deni vtrobique, egerunt vigilias. Altera est *porta oblationis* vocata: quoniam per eam confuerant hostiae sanctiores introduci. *Teriae* nomen dedit *domus foci*. Fuit ea aedificium lapideum

22. Videant *סודות טהרה* cap. 2. cap. 5. MAIMONIDES הלכות בית הבחירה part 3. *משנה תורה* cap. 5. et MSES COTIENSIS *Libro praecept. magno pr. adf. 163.*

deum magnum, constratum saxis, fornicatum quadrumque, partim in atrio, loco sanctiore, partim extra hoc situm, in angulis quatuor totidem conclauia complexum. Et in conclavi quidem occidentali septentrionali calefaciendis sacerdotibus, nudis pedibus, DIVINAS res conficere solitis, non noctu tantum, sed interdiu quoque, alebantur ignes: vnde domus tota retulerat nomen. *Australium una porta ardoris*, seu *incensionis*, est vocata, per quam adhibenda concinandas arae struibus ligna introferebantur; *altera perorum primogenitorum*, quippe per quam illa adiebantur; *tertia aquae*, quoniam per eam festo umbra culorum aqua, de riuo Siloacho hausta, et in aram effundenda, in vase aureo, tres sextarios capienti, adferrari solebat. *Orientalis Nicanoris cognominabatur a manu Nicanoris*, quem Demetrius, filius Seleuci, Iudeae fecerat praesidem, quique cum Iudeis congressus occubuerat, ibi suspensa. Adiacuerunt eam duo conclavia: dextrorsus conclave Pinchae vestiarii, induendis mystis, DIVINAS res confecturis, et his confectis exuendis tunicisque sacerdotalibus seruandis praefecti; sinistrorum conclave conficientium fertum pontificis maximi 23. Etiam hae portae altae cubitos viginti

B 2

omnes

23. Videant. *מִזְוָה שְׁקָלִים* cap. 6. *מִזְוָה מַיִדִין וּמוֹסְפֵין* cap. 1. *מִשְׁנֶה תּוֹרָה* part 3. *מִשְׁנֶה חֲדָשָׁה* c. 10. *M A C H A*



omnes, amplaeque decem, ac superliminaribus instru-
ctae fuerunt. Omnes quoque habuerunt valvas, eas-
demque auro obductas, excepta orientali, aere auro si-
mili tecta.

Ab atrio sacerdotum ad aram exteriorem, et in-
de ad *pronaum* est in plano pauimento itum. Huc
vero adscendebatur, duodecim gradibus, cubitum la-
tis, inter se autem distantibus dimidiatum. Intraba-
tur pronaus per *ostium*, et amplius omnibus portis sa-
crarii reliquis, et celsius. Nam altitudo eius cubitos
quadraginta, latitudo viginti aequauit. Supra super-
liminare quinque fuerunt tigna quercea, eademque
picta, interpositaque lapidum serie inter se distincta:
quorum infimum, uno utrinque cubito, alterum
duobus, medium tribus, quatuor subsequens, et quin-
que sumnum amplitudinem ostii excepsit. Idem quo-
que solum caruit valvis 24. pro quibus obtentum ha-
buit velum, ex filis hyacinthinis, byssinis, coccineis
purpureisque contextum 25. Fuit autem illud ostium
portae

CHABAEORVM l. 1. cap. 7. v. 47. et l. 2. v. 33. et LIGHT-
FOOTVS Oper. tomo priore pag. 62*s.*

24. Videant *מדות* cap. 2. *s.* BARTENORA ad H. I. MAI-
MONITES בית הבחירה part. 3. *משנה* *יריה* cap. 4. et MOSES COTIENSIS Libro *praecept.* magno
pr. *adf.* 163.

25. Videant *תמייד* cap. 7. et IOSEPHVS de Bello l. 6. cap. 6.

portae atrii interioris, Nicanoris cognominatae, ut haec atrii mulierum portae orientali, et haec montis templi portae, ab urbe Susis nomen nactae, e diametro aduersum 26.

Si quis, per hoc ostium et crassum cubitos quinque murum pronaum ingressus, cubitos vndeclim in plano recta occidentem versus processit: ad *portam sancti* peruenit. Cognominata ea est *porta magna* 27. non quasi amplior celsiorue reliquis fuisset, qua ratione, cognomen hoc ostio pronai potius tribui debuisse. Nam porta sancti eadem cum reliquis decem cubitorum latitudine vigintique altitudine fuit: dicta autem magna est, quod additum utrumque ostium habuit. Per australe introire, nemini umquam licuit. Septentrionale vero quotidie duo sacerdotes, unus aram auream, alter candelabrum expurgaturi, ira patefecerunt, vt, quum id duabus feris, una intrinsecus, altera extra, claudi consuefset, illam sacerdos, brachio in murum, ad eundem finem perforatum, cum clave immisso, non sine molesta, hanc autem collega eius, aliquanto recluderet facilius. Aperto hoc ostio laterali, per cellam intermuralem introierunt sanctum, quippe versus quod illa patuit, et tum demum ipsam

B 3

portam

26. V. IARCHI ad נזנִי cap. i.

27. Videat MOSES COTTIENSIS Libro praecept. magno pr.

ad. 163.



portam magnam aperuerunt. Haec duo habuit ostia, inter se distantia cubitos senos. Vtrique binae fuerunt valuae, eaedemque abiegnae, sed auratae, olearibusque postibus adfixae. Quae ostii erant interioris: eae prius aperiebantur et, quum panderentur, tum reclinabantur in murum sancti, ea de caufa, illa parte sola, non auro obductum. Exterioris autem, contigui pronao, valuae lateribus portae, inter duas fores mediis, admouebantur 28. Sonum apertione earum redditum hyperbolice, more suo, describentes IUDAEI, aiunt auditum esse Hierichunte 29. ab Hierosolyma centum quinquaginta stadia seu ultra duodeuiginti Romana millaria remota 30. Supra hanc portam vitis aurea fuit, ridicis fulta, quae dono datis nunc acinis, nunc foliis, nunc palmitibus, nunc vuis, subinde aucta est 31.

Ab interioribus portae magnae valuis in sancto occidentem versus cubitos quadraginta procedebatur ad *sanctissimum*. Hoc in priori templo crassius cubitum paries cum *ostio* ab sancto disiunxit. Quum vero alterum aedificaretur: tum dubitatum est, is vtrum ad

28. Videant. *Reg. liber pr. cap. 6. v. 33. f. et מדרות cap. 4.*

29. י' מ' ז', cap. 3.

30. Videant. IOSEPHVS *de Bello l. 5. cap. 4. et RELANDVS Palaestinae l. alt. cap. 9.*

31. Videant. מדרות cap. 3.

ad sancti, an ad sanctissimi partes pertinuerit, quae haesitatio fecit, ut sanctissimo quidem cubiti viginti, sanctoque quadraginta tribuerentur, quae utriusque longitudo in sacrario Salomonis fuerat, pro pariete autem duo vela, cubitum inter se distantia, substituentur 32. De his in nouo testamento 33. sermo est: quum emitte spiritum IESV templi velum in duas partes a summo ad imum dicitur esse fissum. Ipsi quoque IUDAEI de eis, ut de uno, loquuntur, 34. quoniam ambo pro uno velo, quod in tabernaculo, et pro uno pariete, qui in templo priori fuerat, uno et toti adyto erant praetenta.

Et illae quidem portae, de quibus hactenus dictum est, una cum sacrario dudum euersae sunt, et perditae omnes. Nam debuit fieri, quod erat IESVS minatus, qui, Scitote, inquit, vestram domum vobis desertam relictum iri 35. et: Hoc vobis confirmo fore, ut heic nullus lapis super lapide relinquatur, quin diruatur 36. Missas ergo facio eas, vobisque, CAN-

DIDATI

32. Videant. משנה תורה *מדות* cap. 4. MAIMONIDAE *הלכות בית הבחירה* cap. 4. et MOYSIS COTRISTIS *Liber praecept. magn. pr. adj.* 163.

33. MATTHAEI *cap. 27. v. 51.*

34. Videat. IOSEPHVS *de Bello I. 6. cap. 6.*

35. MATTHAEI *cap. 23. v. 38.*

26. MATTHAEI *cap. 24. v. 2.*

AK II. 286

XVI

DIDATI philosophiae, et artis poeticae, NOBILISSIMI atque ERUDITISSIMI, portas honoris patere nuncio. Quum enim VIRO EXCELLENTISSIMO, IOANNI HENRICO MARTIO, Poef. P. P. Collegii Philosophici Decano, valetudine impedito, eiusdem Collegii decreto, ego suffectus sim, et lauream, philosophicam aequae, ac poeticae, merentibus distribuendi potestate instructus : significandum vobis est, diem Aprilis tricesimam huic negotio, quod DIVINO confisi praesidio suscipimus, more maiorum, esse dictam. Mature ergo, quaeo, vestra mihi nomina profitemini, ut priuatis publicisque explorati tentaminibus, dignos diligentia vestra scientiaque honores rite reportetis.

P. P. die IIX. Id. Ianuarii anno reparatae salutis
M D C C L V I.



Pon II 286, Q*

ULB Halle
003 895 912


3



H*i*
286
679

I GOTTL
RBACHII
EMIA WITEMBERGENSI
S LINGVARVM ORIENTIS
ODECANI
I PHILOSOPHICI
S PALATINI CAESAREI
AD
ATQVE ARTIS POETICAE
DIDATOS
MENTATIO
DE
IS SACRARII
MITANI POSTERIORIS.

ITEM BERGAE
IM GOTTL OB EICHSFELDI
DEMIAE A TYPIS.



Farbkarte #13

Black	3/Color	White	Magenta	Red	Yellow	Cyan	Green	Blue	Centimetres	Inches
									19	8
									18	7
									17	6
									16	5
									15	4
									14	3
									13	2
									12	1
									11	
									10	
									9	
									8	
									7	
									6	
									5	
									4	
									3	
									2	
									1	
									0	